



19

Pri. 15. num. 41.

103

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS
JURIDICA
De 1713, 2
DEPOSITO,

Quam
SOLO DEO PRÆSIDE
Ex
A U T H O R I T A T E & D E C R E T O
Excellentissimi & Amplissimi
J C T O R U M O R D I N I S ,

In Regia, quæ Duisburgi Clivorum floret,
Universitate,

P R O L I C E N T I A
Summos in Utroque Jure honores, immunitates
& privilegia ritè ac more majorum
consequendi.


Publicæ Eruditorum disquisitioni submitter
A B R A H A M U S J A N S S E N ,
D U I S B U R G O C L I V U S .

Ad diem 27. Maij horis, locoque consuetis



D U I S B U R G I ad R H E N U M ,
Typis JOHANNIS SAS, Academiæ Typographi,
Anno M DCC XIII. *J. Horner.*

**D E O,
PATRIÆ,
PATRONIS
ATQUE
AMICIS
SACRUM ESTO.**



DISSERTATIO INAUGURALIS
JURIDICA

De

DEPOSITO.

Thesis I.

Ansequam me accingam ad explicationem hujus contractus, operaे pretium erit, prius quid sit, & quotuplex sit contractus, dicere. Contractus ergo est *conventio ex sua natura efficaciter obligans*: Contractus est vel *verus* vel *quasi* contractus.

Verus est qui *contrahentium consensu* constat. Quasi contractus est quando *lex ex facto licto obligationem inducit*. Dividuntur porro contractus in *nominatos & innominatos*. Nominati vel sunt *reales*, vel *verbales*, vel *literales* vel *consensuales*. Reales, ut *Mutuum, Commodatum, Depositum & Pignus*. Verbales, ut *Stipulatio, Dotisdictio & jusjurandum Libertatis*. Literales, ut *Literarum obligatio*. Consensuales, ut *Emptio Venditio, Locatio Conducatio, Societas, Mandatum & jure novo Emphyteusis*. Innominati sunt, *Do ut Des, Do ut facias, Facio ut Des, Facio ut facias*. De-

A 2 sumpsi

4 DISSERTATIO INAUGURALIS
sumpsi ergo mihi ex contractibus & quidem realibus
Depositum.

Thesis II.

Depositum dictum est à deponendo, ut patet ex
l. 1. pr. ff. b. t. nempe apud Veteres ante inventam for-
mam Medicinæ, quā hodiè utimur, ita obtinebat, ut
si quis desperatus ægrotaret, deponeretur in templo,
vel in eo Urbis loco, ubi frequens esset transitio homi-
num, cā gratiā, ut si quis transiens videret homi-
nem depositum, & eum rogaret, quo morbo labora-
ret, audiens tali vel tali, ubi forte ipse eodem morbo
aliquando laborasset, aut saltem sciret remedium, quod
adhiberi posset in salutem ægroti, id indicaret. Vide
Servium ad illud Virgilii:

*Jamque aderat Phæbo ante alios dilectus Iapis
Jasides, acri quondam cui captus amore
Ipse suas artes sua munera letus Apollo
Augurium ciabarumque dabat, celerisque sagittas.
Ille ut DEPOSITI proferret fata parentis,
Scire porestatas herbarum, usumque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes.*

*Lib. XII. Aeneid. v. 391. & seqq. adde Nonium Marcellum
de var. signif. sermon. in deponere.*

Quoniam autem hæc depositio siebat ad salutem ho-
minum decumbentium ab his, qui ipsi eum curare non
poterant, hinc Metaphora illa desumpta ab his ægris
translata est ad res inanimatas, quæ tum deponi quo-
que dicuntur, si quis iis custodiendis superesse non pos-
sit, quemadmodum autem æger istiusmodi alienæ curæ
commendabatur, ita etiam *Depositum* dictum est *Com-
mendatum* sive *commendatio* *l. 24. 26. ff. l. 6. 9. C. b. t.*
l. 186. ff. de V. S.

Thesis

J U R I D I C A.

Thesis III.

Hisce præmissis rem ipsam aggredi oportet, & dicendum nobis est de Depositum definitione, & est *Conveniens realis nominatus, juris Gentium, bona fidei, quo aliqui res aliqua gratia custodienda datur, eâ legè, uti deponenti restituatur, quando ei videtur in eâdem specie & non deteriorata.*

Thesis IV.

Dixi esse *Contractum*. Quia ex Deposito actio directa & contraria nascitur, uti docet inscriptio Rubricæ Digestorum & Codicis.

Thesis V.

Dixi esse *contractum reale*m. Quia rei traditio requiritur, uti hic contractus sit perfectus, & inter contractus *reales* eum nominatim in Institutionibus referri videmus, vide §. 3. Inst. Quib. mod. re contr. obligatio.

Thesis VI.

Dixi esse *Nominatum*. Quia habet certum nomen & nomini conformem actionem parit. d. §. 3. Inst. Quib. mod. re contr. obligatio juncta l. s. princ. ff. b. t.

Thesis VII.

Dixi esse *Juris Gentium*. Quia relictus est in simplicitate Juris Gentium, & nulla in eo solennitas requiritur, ipseque potest celebrari non tantum inter cives Romanos, sed & inter peregrinos.

Thesis VIII.

Dixi esse *bonæ fidei*. Quia actio nascens ex hoc contractu ab Imperatore Justiniano in §. 28. Inst. de Act. bonæ fidei esse dicitur, est & alia ratio, quia hic contractus ab utrâque parte obligatorius est, & in eo quam maximè bona fides servanda est, uti docet Tryphonius in l. 31. ff. b. t.

A 3

Thesis

DISSERTATIO INAUGURALIS

Thesis IX.

Dixi quo res aliqua. Nec distinguo an detur corpus, an quantitas, immo nec inter rem mobilem ac immobilem discrimen constituo. Etsi enim si vocis Depositi origo spectetur, Depositum esse tantum rerum mobilium videatur, cum sit à de & ponere l. 1. ff. b. t. Nonius Marcellus supra citato loco, attamen *Sequestrum* Depositum species est, & *Sequester* actione Depositum tenetur. l. 5. §. 1. b. t. *Sequestrari* autem & res immobiles posse indubium est. l. 6. l. 17. ff. b. t. c. 1. X. de *seqrest. poss.* Confer Bachov. ad Tr. Vol. 1. diff. 26. Th. 4. lit. D. Lauterbach. Colleg. Theoretico-Pract. ff. b. t. §. 10. sufficit, quod res immobilis etiam alicujus fidei committi l. 1. ff. b. t. aut commendari queat l. 186. ff. de V. S. nec alias est novum, angustiâ linguae vocem aliquando à primâ significatione deslecti, & latiorem induere, vel codicilli indicio sunt, qui, si originem vocis secteris, tantum scripsi esse debebant, sed tamen obtinuit, ut & nuncupativi fierent l. ult. §. ult. C. de Codicillis. adi V. Cl. Joan. Voet comm. ad ff. tit. de jure codicill. §. 1.

Thesis X.

Dixi porrò *Custodienda datur*. Nam si detur alio fine, quam ad custodiā, non est Depositum l. 1. pr. & §. 11. ff. b. t. planè, si potissimum scopus sit custodia, præstatio alicujus facti minus principalis non immutat Depositum naturam, si enim v. gr. servus custodiendus traditus sit, eique cibaria fuerint à Depositario præstata, actio Depositū contraria locum habet. l. 1. §. 9. in fine ff. b. t.

Thesis XI.

Dixi gratis. Idque ea de causa, quod si merces interveniat, non sit amplius Depositum, sed Locatio condu-

J U R I D I C A.

conductio, si operæ cum custodiâ pensentur contra-
ctus innominatus l. 1. §. 9. ff. b. t. sed si Depositario ho-
norarium datum vel promissum, hoc non impedit De-
positi contractum. l. 2. §. 24. ff. de vi bon. rapt.

Thesis XII.

Dixi datur. Ex hoc verbo appetit ad substantiam
Depositii requiri, ut res sit tradita, *Dare* autem in hoc
contractu non est transferre Dominium & Possessio-
nem, sed nudam Detentionem, nam non de domi-
nio, sed de sola agitur custodia, idque adeo verum est,
ut ne quidem in Deposito transferatur nuda possessio,
sed tantum nuda rei detentio l. 17. §. 1. ff. b. t. & res tra-
dita regulariter Deponenti in specie est restituenda. §.
3. Inst. Quib. mod. re contr. obligat. unde neutiquam De-
positarius possidere dicitur, sed esse in possessione.

Thesis XIII.

Dixi eâ lege, uti Deponenti restituatur. Nam si non
restitueretur, esset Donatio, & restituenda est eadem
species, quia non Dominium, sed Custodia tantum
transfertur.

Thesis XIV.

Dixi: *Quando ei videtur.* Quod idem notat quod
statim & omni tempore, sequitur id optimâ ratione ex
ipsa Depositii definitione, quod nimur gratis fiat,
nullâ omnino interveniente mercede, adeoque Depo-
sitarii non intersit onus custodiæ tantum in se suscipi-
entis, & idcirco utique obligati ad hoc, uti continuo,
defiderant id Deponenti, rem restituat. l. 11. C. b. t.
Haecque res adeo certa est, ut licet pacto convento De-
positarius cum Deponente egerit, ne res ante defini-
tum tempus restitueretur, statim nihilominus petente
Deponente Depositarius cogatur eam restituere, ubi
enim

DISSERTATIO INAUGURALIS

enim Depositarius retinere studet rem depositam, intelligitur semper eam dolo malo retinere velle *l. 1. §. 45. 46. ff. b. t.* nec resiliit *l. 1. §. 22. in fine ff. b. t.* quia ibi de *Sequestro* agitur.

Thesis XV.

Sequitur uti videamus de Divisione Depositii, & est Depositum vel regulare vel irregulare. *Regulare* dicitur in quo hoc agitur, ut secundum naturam hujus contractus res deposita in specie restituatur. *§. 3. Inst. Quib. mod. re contr. obligat. Irregulare* est, quod in eo notissimos Depositii terminos excedit, quod Depositarius rebus fungibilibus depositis uti, & illas in genere restituere possit. *l. 24. l. 25. §. 1. l. 26. §. 1. ff. b. t. l. 31. ff. locat. conduct.* Hoc ipsum autem Depositario à Deponente conceditur vel *tacite*, si scilicet pecuniam numeratam & non obsignatam deponit, & hoc manet Depositum *l. 31. versu: nam si quis ff. locat. conduct. vel expresse, & quidem vel ab initio, uti accipiens, si velit, depositā pecuniā uti possit, vel ex post facto, rogante scilicet Depositario.* Illo casu ex tempore quo Depositarius usus est pecuniā: Hoc verò statim Dominium rei in Depositarium transit, & negotium convertitur in Mutuum *l. 9. §. ult. l. 10. ff. de reb. cred. l. r. §. 34. ff. b. t.* nisi contrahentes Depositum manere velint. *l. 24. l. 26. §. 1. ff. b. t. Conf. Lauterbach Colleg. ff. b. t. §. 3.*

Thesis XVI.

Dividitur porrò Depositum in *Sequestrum*, de quo infra, & Depositum in *specie ita dictum sive simplex*. Simplex sive in specie ita dictum est quando ab uno vel pluribus deponitur res non litigiosa, aut talis quidem, sed ab uno. Et hoc est vel *Voluntarium*, quod ex libera voluntate proficiuntur, vel *Necessarium*, quando quidem tumultu-

J U R I D I C A.

tumultus, incendii, ruinæ, naufragii causâ deponitur
l. i. §. 1. & seqq. ff. b. t. & hoc Depositum vocatur à
DD. miserabile.

Thesis XVII.

Hic contractus perfectus est, si utrinque interveniret mutuus consensus, declaratus verbis vel factis l. 25.
pr. ff. b. t. & rei traditio. §. 3. *Inß. Quib. mod. re contr. obligat.* si enim quis rem custodiæ gratia oblatam accepit, vel ei, qui rem in ædes ejus infert, & addit, se rem illam ipsius custodiæ committere, non contradicit, ille omnino consentire, & sic Depositum contrahere censemur. arg. l. 9. §. 3. in verbis: *Quid enim intereft, inferantur &c. ff. de jur. dor.* Quod tamen secus est, si quis simpliciter, nullâ additâ declaratione, rem in alterius ædibus posuerit, licet sciente & paciente ædium Domino, hoc enim in casu Depositum non censetur contractum. arg. §. 3. *Inß. Quib. Mod. re contr. obligat.* Vide Bachov. ad Tr. Vol. 1. diff. 26. th. s. & Lau-terbach colleg. ff. b. t. §. 7. dissentit tamen Wissenbachius ad ff. diff. 21. th. n. Verum argumento, quod Sichardus à Wissenbachio laudatus ex l. 8. §. 1. ff. de procur. petierat, respondit Bachovius d. l. Mozzius à Wissenbachio existimante, requiri, ut Depositarius expressè rei apud se depositæ custodiæ recipiat, adductus, ei non favet. Nam is illâ, quam recensuimus, distinctione utitur *tratt. ult. n. 10. de Deposito.* optimus interpres eorum, quæ scriperat *tratt. de subfiant. Depof. n. 14.*

Thesis XVIII.

Omnis hunc contractum celebrare possunt qui nec natura impediuntur, nec lege contrahere alias prohibentur.

B

Thesis

DISSERTATIO INAUGURALIS

Thesis XIX.

Deponi autem possunt res omnes, sive propriæ sint
sive alienæ, sic fur & prædo deponere possunt. *l. 1. §.
39. l. 31. §. 1. ff. h. t.* Creditor quoque pignus & Depositi-
tarius rem apud se depositam alii commendare potest.
l. 9. C. de pign. ait. l. 16. ff. h. t. Non potest tamen apud
Dominum res ipsius deponi, nam qui rem suam apud
se deponi patitur, Depositi non tenetur. *l. 15. l. 31. in
fine. ff. h. t. l. 45. pr. ff. de R. f.* Quando Lauterbachius
interim in depositum venire posse res omnes *in com-
mercio existentes* ait, *Colleg. ff. h. t. §. 9.* non placet mihi
ejus verba mea statim per omnia facere, qui sciam etiam
res, quæ non sunt in commercio deponi posse, non re-
fragante jure nostro: *Conf. l. 3. §. ult. ff. de liberis exhib.
item ducendis.* Nequicquam repugnante Gœddæo *de
seq. poss. cap. 2. n. 51.* Confer Dissertationem inaugura-
lem Buchii habitam sub præsidio illustris Cocceji, *de
Faminarum Sequestro cap. 2. §. 2.* adde *c. 8. X. de restit.
Spoliator. c. 14. X. de Sponsalibus.* Wissenbach *ad Tit. C. de
prohib. seq. pec. & B. Strijck. us. mod. ff. h. t. §. ult.* illud
quaeritur: an quæ rei depositæ accedunt, etiam intel-
ligantur deposita? Negandum id est, nec enim homi-
ne vestito deposito, vestis videtur deposita, nec equo
deposito, capistrum commendatum. *l. 1. §. 5. ff. h. t.*
Existimant quidem nonnulli in ipsa restitutione & De-
positi actione accessoriorum illorum quoque rationem
haberi. Lauterbach. *Colleg. ff. h. t. §. 12.* Sed resistit ipsis
Jctus in *cit. l. 1. §. 5. b. t.* ubi vide sis Brunnemannum.
Cistâ signatâ depositâ, singulæ res inclusæ depositæ
videntur. *l. 1. §. 41. ff. h. t.* Deponens deinde conquerens,
aliquas res deficere, si cista tempore restitutionis ad-
huc signata sit, non auditur. Quod si sigilla fracta sint,

&

J U R I D I C A.

ii

& Depositarius sit homo integræ vitæ, jurijurando purgatorio, si hic sit contrà levioris fortis, Deponens autem notæ honestatis, & circumstantia verosimile redditant Deponentis assertum, suppletorio solent locum facere Pragmatici. Vid. Strijck. us. mod. ff. b. t. §. 5.

Thesis XX.

Ex hoc contractu principaliter obligatur Depositarius ad rem custodiendam, eandemque in Deposito regulari *in specie* restituendam. §. 3. Inst. Quib. mod. re contr. obligat. & quidem quandocunque Deponenti placuerit, etiam ante diem Deposito additum.

Thesis XXI.

Sunt tamen casus, quibus Depositarius Deponenti Depositum restituere non tenetur, ut si Dominus concurrat, & rem suam vindicet, hujus enim justior & potior petitio est. l. 31. §. 1. ff. b. t. Item si Deponens deportatus & illius bona fuerint publicata d. l. 31. ff. b. t. Si Deponens inciderit in eam conditionem, ut illi solvere jure non licet, vel non expedit, ut si sit furiosus, si bonis ei interdictum, si perduellis, pulcrè Cicero lib. 3. de officiis. *Et promissa non facienda nonnunquam, neque semper deposita reddenda sunt.* Si gladium quis apud te sane mentis deposuerit, repeatat insaniens, reddasne illi gladium? reddere peccatum sit, non reddere officium. *Quid si is, qui apud te pecuniam deposuerit, bellum inferat Patriæ, reddesne Depositum?* non credo, facies enim contra Rempublicam, quæ debet esse carissima. Sic multa quæ naturâ honesta videntur esse, temporibus sunt non honesta, facere promissa, stare conventis, reddere deposita, commutata utilitate sunt non honesta. Seneca lib. 4. cap. 10. de beneficiis ait: *Depositum reddere per se res expetenda est; non tamen semper reddam, nec quo-*

B 2

quo-

12 DISSERTATIO INAUGURALIS

*quolibet loco, nec quolibet tempore, aliquando nihil inter-
est, utrum inficer, an palam reddam.*

Thesis XXII.

Minus principaliter ex hoc contractu obligatur Deponens ad indemnitatem Depositario præstandam. Ex principali, scilicet Depositarii obligatione natum est actio Depositi directa, ex hac vero Deponentis obligatione actio Depositi contraria.

Thesis XXIII.

Actio Depositi directa datur Deponenti adversus Depositarium, ad rem depositam in Deposito regulari in specie restituendam. §. 3. Inst. Quib. mod. re contr. obligat. haec actio (ut supra Thesis 8. diximus) est bona fidei. §. 28. Inst. de Act. Ex Voluntario reipercitoria. §. 17. Inst. de Act. perpetua, est enim Civilis, quamvis & Praetor de Deposito proposuerit Edictum in l. 1. §. 1. ff. b. t. nam & de Commodato proposuit l. 1. ff. commodati. Et tamen actio Commodati Civilis est. Vide l. 8. ff. de just. & jure. Ob dolum famosum l. 1. ff. de his, qui notantur infamia. l. 10. C. b. t. §. 2. Inst. de pena temere litigantium. Ex eo quod necessitatibus, ut incendiis, ruinæ, naufragii, tumultus causâ depositum est, pœnalis mixta, ob inficiationem enim lis crescit in duplum, non tamen adversus heredem, nisi & hujus dolus arguatur. l. 1. §. 1. l. 18. ff. b. t. §. 17. Inst. de Act. Actionem istam in duplum quidem hodiè abusu recessisse tradunt JCti Belgæ & nostrorum non nemo: at resistit ipsis merito Brunnemannus ad l. 1. §. 1. ff. b. t. n. 3. maxime, cum lex Dei inficiationem juratam in quovis deposito quintuplico puniat. Lev. VI. 2. B. Strijck. us. mod. ff. b. t. §. 1. aliam duplione. Exod. XXII. 9. Cui respondebat Lex XII. Tabularum: *Si quid endo Deposito dolo malo factum es sit, duplione*

J U R I D I C A.

13

duplione luto. Quemadmodum hanc legem ex Paulo
JCto apud Pariatorem *LL. Mof. & Rom. tit. X.* restituit
V. Cl. Jacobus Gothofredus. Adde Paulum *Recept sent.*
lib. 1. tit. 19. ubi pro *depensi* legendum *depositi*, ut mo-
nuit Cujacius, & Petrus Pithœus ad *Pariatorem d. l. adi*
& *Gravinam de Ortu & progressu Juris Civilis lib. 2.*
cap. 51. Prætor duplionem in simplum mutavit, excepto
Depositio, quod *miserabile* recentiores vocant. Confer
Cujac. *Paratitl. Cod. b. t.* & ibidem *Fabrott.* datur De-
ponenti & heredi, si plures rem communem deposue-
rint, singulis pro rata *l. 1. §. 44. l. 17. ff. b. t.* nisi contra-
rium actum, ut nimirum singuli in solidum agere pos-
sint *d. l. 1. §. 44.* datur adversus Depositarium, si apud
plures res sit Deposita, adversus singulos in solidum da-
tur *l. 1. §. 43 ff. b. t. l. 9. pr. junct. l. 3. §. 1. ff. de duob. reis.*
nec repugnat argumentum, quod ex *l. 21. §. 1. ff. commo-*
dari. peti solet, quæ enim ibi dicit Africanus, ad minus
peniculatè dicta referenda sunt. Vide V. Cl. Petrum
de Toullien *diff. 1. cap. 8. §. 2.* contra heredem ob dolum
defuncti competit in solidum *l. 7. §. 1. ff. b. t. l. 12. ff. de*
Obligat. & Action. si verò rem apud defunctum inven-
erit, & nesciens depositam vendiderit sive distraxerit,
tenetur ad id, quod exindè ad eum pervenit *l. 1. §. ult.*
ff. b. t.

Thesis XXIV.

Hæc Actio non datur aduersus singulares successo-
res *l. 8. C. b. t.* nec aduersus Tertium, qui Depositarius
rem custodiendam iterùm tradidit. *l. 16. ff. b. t.* Nam
hæc actio est *personalis*, & tantùm competit aduersus
eum, qui nobis ex contractu est obligatus. Deponens
autem illo casu agit cum primo Depositario, ut actio-
nes ipsi competentes sibi præstet. *d. l. 16.*

B 3

Thesis

DISSERTATIO INAUGURALIS

Thesis XXV.

Est autem res deposita cum fructibus & omni causa restituenda. *l. i. §. 24. ff. b. t.* usuræ, uti in reliquis actionibus bonaë fidei, ita quoque *in hoc judicio* debentur ex mora. *l. 24. in fine. l. 25. §. 1. l. 29. §. 1. ff. b. t.*
l. 2. C. b. t. l. 32. §. 2. ff. de usuris. vel pacto *l. 24. in fine.*
l. 26. §. 1. l. 28. ff. b. t. Compensatio huic actioni non potest objici. *l. ii. C. b. t. §. 30. Inst. de Act. l. ult. C. de Commodo.* ubi commendati legendum. *l. ult. C. de Compensat.* nec retentioni locus ob impensas arg. *l. ii. C. b. t.* videatur prolixè Boeckelman de Actionibus cap. 3. part. 15. §. 6. & D. Voet comment. ad ff. de compensat. §. 15. Venit & in hanc actionem, ut Depositarius resarciat damnum suo dolo vel latâ culpâ datum *l. 32. ff. b. t. l. 23. de Reg. Jur. l. 5. §. 2. ff. commodati.* isti tamen latæ culpæ etiam hic adscribitur, si quis intempestivam misericordiam exercuerit. *l. 7. ff. b. t.* de levi vel levissima regulariter non tenetur. *d. l. 23. de Reg. Jur.* nisi id actum sit, vel sponte se obtulerit Deposito. *l. i. §. 6. & §. 35. ff. b. t.* Multominus de casu fortuito, nisi (juxta ea quæ supra thes. 15. in fine dicta sunt) id actum, ut tantundem restituatur. arg. *l. 24. ff. b. t.* aut res perierit post venditionem semel dolo factam *l. i. §. 25. ff. b. t.* vel post item contestatam. *l. 12. §. ult. b. t.* & ipsa apud Deponentem non æquè fuisset interitura *l. 14. §. 1. ff. b. t.* quod si hac actione conventus contumaciter rem restituere detinet, adversus eum in item juratur *l. i. §. 26. ff. b. t.*

Thesis XXVI.

Ubi autem in communii periculo Depositarius suam rem eriperet relicta re depositâ, cum utramque & suam & depositam liberare non posset, eo nomine tunc cum Deponenti teneri, si res propria minoris esset pretii quam

quam deposita, ajunt, quod communiter homines tali in casu præferant res pretiosiores. Quod si tamen ejusmodi in casu depositas propriis præferret Depositarius, à Deponente rerum propriarum, eam ob causam relistarum, pretium jure eum petere, post Lauterbachium & ab eo citatos Brunneman ad l. 32. ff. b. t. n. 7. & 8. quæ sententia non satis quidem convenire forte videatur verbis Celsi in l. 32. ff. b. t. ab æquitate tamen commendari solet. Vide Puffendorff de Jure Nat. & Gent. lib. 5. cap. 4. §. 7. ubi ait: *equum fuerit, ut quando utraque (& res propria & res aliena) servari nequit, ego potius rem meam viliorum negligam, & pretiosorem depositam servem, ita tamen, ut Deponens mibi teneatur restituere pretium earum rerum, que mihi perierunt, dum ipsius res præ meis servatum eo.* Quamvis ipse Illustris Puffendorfius deinde obligationem ad servandum res depositas pretiosiores præ propriis vilioribus ad imperfectas referat. Notum interim est ad Jus Romanum quod attinet, quantopere interpretum ingenia fragmentum illud Celsi in l. 32. ff. b. t. torqueat, & hoc torqueant interpres, adi Boëckelman Exercit. de Actionibus cap. 3. part. 15. §. 5. Eximiam Alemannorum veterum fidem hic repræsentat Jus Suevicum, quo depositarius res depositas propriis præferre tenetur. Verba ejus juris ex cap. 254. Exercit. ad ff 28. §. 48. illa refert Celeberrimus Schilterus: *Wer dem anderen gut enpshilt auf seine treuu / und es ihm wirdt verstohlen / oder geraubet / oder verbrennet / oder stirbt es / ob es Dich ist / und hat er das gut pas in seiner huet gehabt / dan sein selbts gut / und getar er das bereden zu den Heiligen / Er gilt des gutes nicht.* Apud Gothos hæc lex obtinuit: *Si quis ponat rem suam alicui in custodiam, res illa nec furto nec rapina*

rapinā perire potest. Stiernhök de Jure Sueonum & Gothorum vetusto lib. 2. cap. 5. ubi ad istam legem addit: *Quasi dicat non levat Depositarium, si dicat furto aut rapinā ablatam esse, quod cum etiam hodie in rebus pupillaribus observetur, Depositarii ut periculum hoc vivent templorum fidei sapissime committunt, tanquam si ab ejusmodi casibus iutissima forent.* Jura tamen recentiora hanc exceptionem admittunt, ut de restituendo Depositarius non teneatur, si res proprias etiam e. g. incendio vel furto periisse probare possit. *Jura nostra dolum presumunt, si unā non pereant, quod tamen de jure Civili Romano & Saxonico non obtinuit.* Admittitur enim hoc non obstante probatio Depositarii, culpa enim nomine desidie & negligenteria non tenetur, cum custodiā gratuitam præstat. Nos contra tantam fidei rationem habuimus, ut nemini prorsus sua credulitas damno foret. *Jure Bavarico* veteri talis requiritur custodia à Depositario rerum depositarum, qualem suis rebus adhibet. Schilter. d. l. *Jus Danicum* ita optimè videtur definire: *Si quis rem alterius in suam recipiat custodiā, debet eam custodire ut rem propriam: Si autem ades ipsius (Depositarii) ignes corripiat, ita ut res deposita comburatur, aut furto auferatur, aut alio casu fortuito unā cum rebus propriis Depositarii pereat, non potest eo nomine conveniri.* Si autem res Depositarii propriae periculo eriperentur, & probari posset, Depositario etiam rem depositam unā cum rebus propriis liberandi occasionem & tempus superasse, eo casū Depositarius estimationem rei depositae præstare tenetur. *Christiani V. jur. Dan. lib. 5. cap. 8. art. 14.*

Thesis XXVII.

Ex Deposito nascitur etiam *actio Contraria*, quæ aliquando *contrarium judicium* dicitur l. s. pr. ff. h. r. & ided

ideò quidem, quia non directò & ab initio ex hoc contractu descendit. Ea datur Depositario adversus Deponentem ad indemnitatē Depositi nomine consequendam l. s. pr. l. 12. pr. ff. b. t. Estque *Civilis, bona fidei, rei persecutoria, nunquam pānalis nec famosa l. 6. §. ult. ff. de his qui notantur infamia.* nec hīc agitur de fide ruptā, sed de indemnitate ejus, qui Depositum suscepit. *d. l. s. pr. ff. b. t.* Bonæ fidei quod sit, certum est, cum in §. 28. *Inst. de Actionibus* sub directis & contrariae intelligentur. Conf. A. Vinn. *comment. ad d. §. 28. n. 5.*

Thesis XXVIII.

Hæc Actio oritur ex obligatione, quæ secundariò & minus principaliter ex Deposito descendit, datur Depositario apud quem res est deposita ejusque heredibus, adversus Deponentem ejusque heredes. *l. i. c. de hereditariis actionibus.*

Thesis XXIX.

Hæc Actio datur ad id quod Depositario Depositi nomine abest, veluti si in rem depositam aliquid imponderit *l. 23. ff. b. t.* aut si depositario dolo vel quāvis Deponentis culpā occasione Depositi damnum obvernerit, ut si servus depositus Depositario furtum fecerit *l. 31. ff. de pignerat. action.* Quamvis Deponens servum forem esse ignoraverit *l. 61. §. 5. ff. de furis.* Deponens enim, cum ipsius tantūm commodum versetur, etiam de levissima culpa tenetur, nec Depositario suum officium esse damnosum debet. *d. l. 61. §. 5. adde l. s. §. 2. ff. commodati.* Undè Deponens nec noxæ deditio potest defungi *d. l. 61. §. 5.* nec repugnat sibi Africanus in *d. l. 31. ff. de pignerat. action.* Vid. Cl. D. Voet. *comm. ad ff. b. t. §. 10.*

C

Thesis

Thesis XXX.

Solet quæri an hic compensatio habeat locum? *gr.*
 Quod affirmandum videtur, nam Imperator in *l. ult.*
C. de compensat. excludit quidem compensationem in
 Deposito; sed expreſſe refert ad Constitutionem suam
 quæ exſtar in *l. n. C. b. t.* illa verò quæ in *d. l. n.* di-
 cuntur locum non habent in *contraria*, sed tantum in
directa actione, undè etiam illud privilegium ad *con-
 trarium* extendi non debet, in caſu enim non excepto
 regulæ §. 30. *Inſt. de act.* est inhærendum & jus ſingu-
 late ſtrictæ interpretationis eſt.

Thesis XXXI.

Sequitur uti exponamus Sequeſtrum ut ſpeciem De-
 pofiti. Sequeſtrum eſt, ubi res litigioſa à litigantibus
 aut Judice penes Tertium deponitur, eà lege, ut lute ſiniā,
 viciōri reſtituatur. *l. 6.* & *l. 17. ff. b. t.* eſtque vel neceſ-
 ſarium vel voluntarium

Thesis XXXII.

Necesſarium ſive judiciale eſt, quod jufſu eorū autho-
 ritate judicis aliquando ex iuſta cauſa, etiam parte invita
 decernitur, & regulariter tanquam ſpecies executionis
 eſt prohibitum *l. unic.* *C. de prohib. ſequeſtr. pec.* nemo
 enim in poſſeſſione ſuā turbandus *l. §. 1.* *C. unde vi.* nec
 à Judice *c. 7. X. de refit. ſpoliat.* multominus proceſſus
 ab executione inchoandus. *l. 1. C. de Except. rei judicat.*
 niſi metuſ fugae *l. 16. ff. de off. praſid.* *l. 7. §. ult. ff. qnū*
fatiſdare cogantur. dilapidationis *l. 21. §. 3. ff. de Appellat.*
c. 3. X. de ſeq. poſſ. vel alia iuſta cauſa, ad quam tamē
 non referendus metuſ armorum judge Boëkelmanno
de action. cap. 3. p. 15. §. 4.) ſubſit, & judeſ præviā cau-
 ſæ cognitione illud ritè decernat.

Thesis

JURIDICA.

19

Thesis XXXIII.

Voluntarium est, quo à pluribus litigantibus res litigiosa apud Tertium deponitur l. 17. pr. ff. b. t. l. 110. ff. de V. S. & hoc omni jure est permisum l. 5. §. ult. l. 6. l. 17. pr. ff. b. t.

Thesis XXXIV.

Officium Sequestris est rem commissam custodire usque ad litis eventum, ne dolo latâve ejus culpâ (ali quando levi, si honorarium acceperit. arg. l. 5. §. 2. ff. commodati) quid detrimenti capiat. l. 6. ff. b. t. praedia administrare, fructus colligere, & eos asservare, & quæ servando servari nequeunt vendere, & pretium repone, finitâ autem Sequestratione rem cum omni causa restituere, & rationem suæ administrationis reddere. Sed quid dicendum de illo, à quo res sequestratur, si non satis commodè possit aliundè vel se sustentare, vel sumptus litis sustinere, an illi sint eroganda litis impensa & alimenta? Q. Affirm. arg. l. 11. §. 1. Versu. proinde ff. ad Exhibend. l. 9. ff. de jure deliberandi. Ratio dubitandi, quia præstat intacta jura servare, quam post vulneratam causam remedium frustrâ quaerere. l. ult. C. in Quib. caus. in integr. restit. non est necessaria. Q. An, si rei sequestratæ cohæreat jus patronatus, possit exerceri à Sequestre dum litigatur, si res non possit moram pati? Quod affirmatur. Q. An Sequester etiam possideat? Quod negatur. Nisi aliud specialiter sit actum, sive sit voluntaria sive necessaria Sequestratio l. 17. ff. b. t. l. 29. ff. de Acquir. vel amitt. posse. Bœckelman. de Action. c. 3. part. 15. §. 2.

Thesis XXXV.

Oritur ex Sequestratione actio Depositi Sequestravia directa l. 5. §. 1. l. 12. §. 2. ff. b. t. quæ datur victori,

C 2

vel

20 DISSERTAT. INAUGUR. JURIDICA.

vel illi, qui ut sibi soli res restituatur, obtinuit, adversus Sequestrem, ut lite finitâ reddat rationes, & rem cum omni causa restituat. arg. l. 1. §. 14. ff. b. t. nec non ad præstandum, si quid nominatum promisit. l. 5. §. 1. ff. b. t. Datur quoque Sequestri Actio Depositi Sequestraria contraria, adversus litigantes ob impensas & damna, quæ ipsi ratione Sequestrationis obvenire, nam nec ipsi officium debet esse damnum l. 61. §. 5. ff. defurtis. l. 7. ff. quemadmodum test. apertantur. dantur istæ actiones quoque heredibus & in heredes l. 12. §. 2. ff. b. t.

Hæc sunt B. L. quæ de hac materia paucis proferre fuit animus, ea ut æqui bonique consulere velis, rogo. TIBI autem CLEMENTISSIME DEUS gratias, quas possum, ago maximas pro spirituali tua assistentia, benedic porro studiis meis per Spiritum tuum Sanctum Amen.

COROLLARIA.

I.

D^Olus in contractibus bonæ fidei sive sit incidens, sive dans causam, reddit contractum ipso jure nullum.

II.

¶ (21) ¶

II.

Non dantur alia ex hereditationis
causæ quam quæ in Novella 115.
cap. 3. & 4. continentur.

III.

Vestimentorum verus, non quasi
usufructus est.

IV.

In Testamento nullus actus extra-
neus & à Testamento alienus in-
tervenire debet.

V.

Fidejussor in majorem quantitatem
acceptus ac in quam reus princi-
palis obligatus est, non tenetur
ad summam concurrentem.

C 3

VI.

¶ (22) ¶

V I.

Exceptio Divisionis pluribus fide-
jussoribus competens , ante litem
contestatam opponenda est.

V II.

De controversis ex Testamento
proficiscentibus bonà fide facta
transactio valet , quamvis tabulæ
non fuerint inspectæ.

V III.

In Mutuo transit Dominium , mo-
do utrinque adsit consensus in
Mutuum. Aliàs enim nec Mu-
tuum est.

F I N I S.

CAR-

88 (23) 88

CARMEN VOTIVUM

Quo

JANSSEN JANSSENIUM;
FRATER FRATREM;
DOCTOR DOCTORANDUM,

Atque Astrææ Sacerdotium aditu-
rum; Fraternæ Pietatis amore
ductus, comitari debuit,
voluit &c. &c.

J. H. J. J. D. S. D.

Nunc Tibi quid referam Fratrum Dulcissime Frater?
Quem mox læta beet prosperitate Dies.
DEPOSITI, video, Leges & jura tueris,
Et bene. St! fallor; Me tacuisse decet.
Frater enim Fratrem verbosis laudibus ornet;
Non Ego. Nam novi hæc verba carere fide.
Ergo tui surgat meriti testatior index,
Et, quod das, Specimen Te probet esse Virum.
Non puto Carminibus Doctorem posse creari,
Si tamen? Hos versus, Frater amice, fuge.
Militis egregii superato ex hoste triumphus
Ducitur. At viatos ante Poeta canit.

Ergo

Ergo poëtarum turbæ male creditur illi,
 Demeritas laudes Victor ab hoste pete.
 Has Tibi cum dederit, Me præstolabere testem,
 Nam quod verba tacent vota datura putes.
 Quod cupis, id cupio : Quod non cupis ipse ; Vicissim :
 Unaque spes ambos & timor unus habet.
 Vincere prius ! fateor, meruit Victoria si quid ?
 Frater in applausu næ Tibi primus ero.
 Vincere si nescis ? Alios Tibi quare poetas !
 Blandiri didicit non mea vena malis.
 Nec fraternus amor, si Te quæsiveris extra,
 Quod studium fallax laudibus ornet, habet.
 Beta licet sapiat, fungusque fruatur honore,
 Sed tamen hæc Themidos ferula mensa fugit.
 Illa salutiferas Causis circumspicit herbas,
 Inveniet nullas, heu ! moritura, ruit.
 Vin ego quid dicam ? nova non est fabula Frater :
 Justitiæ insipidos exspuit ore Dea.
 Confuse, quælo ! Tibi, tamen hic omnia famæ,
 Et qui JANSSENIOS TRES comitatus honor :
 Tu nunc illius, sis felix ! tertius hæres
 Arripies Meriti, Frater amande, Decus.
 Sed prius ingenitum, decet hoc ! depone timorem,
 Non ornat timidos Sancta Cathedra viros :
 Tela etiam doctum ridet venientia peccus.
 Et Circumspectum lädere nemo potest.
 Hunc pia Te sperant, Frater, mea vota futurum,
 Et licet indicii credere ? talis eris.
 Ipsa Tibi accelerat Themis impositura Coronam,
 O bene ! DEPOSITUM sic Tibi Sospes erit.


ULB Halle
001 596 608

3



V017





Pri. 15. num. 41. 19 19 19

Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAUGURALIS
JURIDICA
De 1713, 2
DEPOSITO,
Quam
SOLO DEO PRÆSIDE
Ex
AUTHORITATE & DECRETO
Excellentissimi & Amplissimi
JICTORUM ORDINIS,
In Regia, quæ Duisburgi Clivorum floret,
Universitate,
PRO LICENTIA
Summos in Utroque Jure honores, immunitates
& privilegia ritè ac more majorum
consequendi.

Publicè Eruditorum disquisitioni submitteret
ABRAHAMUS JANSSEN,
DUISBURGO CLIVUS.
Ad diem 27. Maii horis, locoque consuetis

**KÖNIGRIED
UNIVERS.
ZVHALIE**

DUISBURGI ad RHENUM,
Typis JOHANNIS SAS, Academiae Typographi,
Anno M DCC XIII.

